Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

23) Vide, quæ dicta sunt Add. 22, n. 5, 7, 31, et 32. De hoc Alberto Goritiano fratre natu minore Meinhardi I Tirolensis, doctissimus observat ill. Coronimus Tent. genal. Com. Gorit. c. 3, sequentia: Mortem vero Alberti I Comitis Goritiæ, Fratris Meinhardi III (inter Tirolenses I) ad annum 1250 referimus, solo quidem teste Mysto, Tabularii Græcensis, quod hisce verbis R. P. Antonius Steyerer S. J. in Præfatione ad Commentarios pro Historia Alberti II Austr. pag. ultima commemorat: „Differtamen a Neostadiensi (Mysto Græcensi Mystum) quod illud primo loco referat mortem Alberti Goritiensis, et Tyrolensis Comitis ad annum 1250„. ---- Satis opinor his argumentis comprobatum est: in Stamsensi Chronico, Editionis Reziana, ad annum 1253 loco: Albertus Pater Meinhardi, reponi debere: Albertus Avus Meinhardi, vel fortasse: Patruus. Nam Meinhardo IV et Avum, et Patruum, Albertum nomine fuisse, idem Stamsense Chronicon paulo inferius ad annum 1284 perhibet. -- Patrui nomen hic omittitur; cum tamen singulorum deinceps nomina accurate exprimantur. Nempe quoniam cum Avo eodem nomine Alberti gaudebat Patruus Meinhardi IV: semel in eadem sententia positum Alberti nomen satis esse putabat Autor. -- Alberto I Goritiensi uxorem tribuimus Hippolytam Noram, Hambaldi de Collalto filiam. In Tabulis Genealogicis Hübneri Parte III. Tab. 803. edit. 1728. Hambaldi VI. filia ponitur: „Nera, uxor N. Comitis de Goritia„. -- Illustrissimus Comes Sigismundus Attemsius nos per literas datas Goritiæ CIƆ ƆCCI. VII Idus Decemb. edocuit: Hippolytam vocari in Actis Collaltianis Hambaldi filiam, quæ Goritiensi Alberto nupserat. -- ita coniuliati ambo (Hübnerus et Attemsius) poterunt: ut Hippolyta illa compellata sit cognomine Nera, a crinium, vel oculorum, aliusve rei nigro colore, aut quacumque de causa. -- Ex Alberto I. et Hippolyta Nera natum censeo Meinhardum V. Persuadet istud Julianus in Chronico Forojul. quod Rubeis in Appendice pag. 29.

Cæterum supra allegatum Manuscriptum Tabularii Græcensis tanta auctoritatis non est, ut vel ill. Coronimus quod ad annum obitus Alberti firmum ei assensum tribuat, vel nos illud Stamsensi tabulæ præponamus.

24) Diploma apud Meichelbeckium Chron. Buran. p. I, c. 18 sic sonat.

Nos Gebhardus Dei Gratia Comes de Hirzberch. Notum faimus universis tam presentibus quam futuris, quod nos omnem donationem Ottonis Ducis Meranie Comitis Palatini Burgundie, et filii sui Ottonis Ducis, quam fecerint et donaverint cenobio Burensi in agris, pratis, aquis, et silvis, cultu et inculto, et in theloneis, et quam donationem frater noster Albertus Comes de Tyrol, pro se et Successoribus suis ratam habuit et confirmavit, ratam habemus et auctam in testimonium et veritatis indicium dantes eidem predicto Burensi Cenobio et ad removendam donationis ambiguitatem nostras patentes literas sigilli nostri munimine roboratas.